

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D.
... Ad Exequias Quas ... Catharinae Beselins/ Coniugi suae ... Vir ... Dn. Alexander
Kirchberg/ I.U.D. & Provinciakis Dicasterii Advocatus meritissimus Hodierna hora
I. in Templo B. Mariae decenter apparabit. Omnes omnium ordinum Cives
Academicos sedulo & amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1660


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746858574>


Druck Freier  Zugang




Willebrandt, A.,
in C. Beselin,
uxor. A. Kirchberg.
R. 1660.

4.







PROGRAMMA 96

Quò

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

ALBERTUS Willebrande / U. J. D.

Coef. Prof. & Ducal. Consist. Asessor,

AD

EXEQVIAS

Quas

Pia, honestissima, ac omnium muliebrem sexum decentium virtutum ornamentis decoratissima Matrone,

CATHARINÆ Beselins /

Conjugi suæ desideratissimæ

Viduus mœlissimus

Vir Consultissimus atq; Excellentissimus

DN. ALEXANDER Kirchberg / J. U. D.

& Provincialis Dicasterii Advocatus meritis-
sissimus

Hodiernâ horâ I. in Templò B. Mariæ
decenter apparabit.

Omnes omnium ordinum Ci-
ves Academicos sedulò & aman-
ter invitat.

ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1660

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrand/ U. J. D.

Nobilis est multorum literis ac sermone consuetudo Thracum veterum, aut certe finitimorum quorundam populorum, quos alii Trausos, alii Cælios, alii Heniochos fuisse, confirmant, qui *Natales hominum flebiliter, exequias cum Hilaritate celebrare consueverunt.* In primis autem ab Herodoto, autore antiquissimo, eleganter illa consuetudo describitur in *Terpsichore, lib. 5. circa princ.* Trausi, inquit, Thracibus finitimi sunt, & cætera quidem cum illorū moribus concordant: Sed unum quiddam, circa recens natos atque mortuos, peculiare habent. Nam editum quidem infantem circumfidentes propinqui plorant, commemorantes, omnes afflictiones, calamitates, miseras humanas, in quas simul cum ipsa vitā homo ingreditur: Sed defunctum hominem cum lusu lætitiæque ad sepulturam efferunt, recensentes, quantis malis subductus, in omni felicitate jam vitam agat. Hoc institutum, quanquam fortè barbaricum & inhumanum videri alicui possit, tanquam profectum ab agrestigenæ, & moribus ac ritibus barbaricis allvetā. Revera tamen sapientiæ plenum est, & tale, quod non solum de maximis ærumnis atque afflictionibus humanæ vitæ, quas ingredimur per ortum, & per obitum mortemque egredimur; Sed etiam de rebus gravissimis ad Christianam pietatem pertinentibus, nos

commonefacit. Quid enim triste magis ac luctuosum
esse potest, quam hominem conceptum in labe pecca-
ti, reumque Divinæ iræ & damnationis aternæ, ingredi
in hanc lucem & vitam, non modò cæteris expositam,
ærumnis, atque adversitatibus multiplicibus; sed etiam
obnoxiam in firmitatibus variis, peccatis & lapsibus hor-
rendis, objectamque hostili furori, fraudibus & tentati-
onibus Diaboli perpétuis: Quibus, nisi per regenerati-
onem accepto Spiritu Dei armaretur homo, ne quidem
ad momentum repugnare aut resistere imbecillitas hu-
mana posset? At quid contrà lætius aut optatius acci-
dere homini Christiano possit, quam si decurso vitæ
ærumnosæ spatio, confectâque militiâ gravi ac periculo-
sâ, adversus carnem, Mundum, atque satanam, cum
triumpho quasi reperat cælestem patriam, in quâ labor
nullus, nulla cura & anxietas amplius attingit illos, qui
verâ in Christum fide decesserunt; Sed lætitia demum
vera incipit, ac vita sempiterna suavissima in conspectu
DEI, quam nulla unquam tristitia turbare, aut seculo-
rum & temporum longinquitas terminare poterit?
Quidni ergò tristemur recordatione miseræ atque im-
becillitatis nostræ, per lapsum attractæ, quoties infantu-
lum edi in hanc lucem, in ærumnarum veluti commune
pelagus exponi cernimus? Et rursus, quidni gratule-
mur potius piè decedentibus ex hac vitâ parentibus,
uxoribus, fratribus, amicis, cognatis, propinquis no-
stris, quàm lugeamus & tristemur: cum maximè sciamus,
non eos amitti, sed præmitti, & recedentes præcedere,
quemadmodum alicubi D. Cyprianus, (*qui primum ho-*

uianes

mines in Clericos, & laicos divisit) scriptum reliquit. Et
hæc omnia se ira habere, quis est nostrum, qui non vi-
det, & sacræ, & profanæ historiæ consona agnoscit?
Nonne Ecclesiasticus c. 40. vers. 1. in hæc definit verba?
Res misera est & grave jugum omnibus Adami filiis ab
utero. Quinimo nascitur homo ad miseriam, sicut avis
ad volatum Job 5. vers. 7. & in perpetuâ militia est, Job. 7.
vers. 1. Quod & inter alia eleganter jura nostra adum-
brant, quando gloriosissimus Induperator Justinianus,
in Nov. 84. c. 1. in fin. pr. ait. Multæ sunt homini & anxie-
tates innumera, & repentinæ mortes. Vita hominis singu-
lis diebus, imò singulis horis atque momenti mille pe-
riculis exposita est. argum. L. Senatus. 35 §. mortis. 4 D.
de donat. mort. causâ, ubi Paulus §. C. tus, terrâ marique, tam
in pace quàm bello, & tam domi, quàm militia multis
generibus mortis periculum expectari potest, quod in-
numeris locis historia profana deflet, quos Philipp. Ca-
merarius in meditationibus historicis copiosè collegit.
Quibus omisissis, ultimò audiamus Augustinum, graphicè
fragilitatem, & imbecillitatem vitæ humanæ describen-
tem: Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam
humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, esca
inflant, jejunia macerant; Foci dissolvunt, tristitia consumunt,
solicitudo coartat, securitas hebetat, divitiæ jaçant, paupertas
deijcit, juvenus extollit, senectus incurvat, infirmitas fran-
git, meror deprimat, & post hæc omnia mors interimit. Nemo
proinde longos vitæ dies sibi exoptet, quoniam vivitur
inter falsos fratres, subdolos, duplices, uti vocantur, à Gl.
in L. 9. D. de Præst. stipul. hypocritas, vivitur inter superbos,

invidos, rixosos: vivitur inter dissidia, jurgia, fribuscula:
vivitur hoc exulceroso seculo inter atheos, qui nec Deū
timent, nec ad votē extremi judicii expavescunt. Vivitur
in laxatissimis disciplinæ repagulis, in corruptis mori-
bus, omni malitiâ & nequitiâ. Hisce malis maturè satis
exempta est pia, ac honestissima p. m. Matrona nostra
defuncta, quæ cum & ipsa jam perspexisset rerum hu-
manarum mutabilitatem & inconstantiam, expertaque
esset communes misérias in annum ætatis sexagesimum
primum, relictis quisquiliis mundanis, ad Deum con-
versa, plenis suspiriis ac lacrymis placidam ex hac vitâ
emigrationem invenit, & in consortium sanctorum
cooptata est, cujus anima sit in benedictione. Quod Na-
tales prædictæ laudatissimæque Matronæ, vitæ ortum,
progressum, & finem attinet, illos, prout à matissimis
heredibus accepimus, huc à verbo ad verbum repetemus,
& sunt hi: CATHARINA Beselius / b. r. Matrona Lau-
datissima, in lucem edita est Anno superioris sæculi no-
nagesimo nono, Patrem laudavit Virum Spectatissimum,
HENNINGUM Beselium / Civem Primarium, ex verustâ
& præcipuâ Beseliniorum familiâ oriundum; Matrem
habuit Lectissimam Fœminam MARIAM Klerckert/
Avum Paternum venerata fuit Prudentissimum & Spe-
ctatissimum Virum DN. HENNINGUM Beselius / Se-
natorem Reip. Rostochiensis dignissimum, Aviamq̃s
Paternam CATHARINAM Boldewans / ex antiquo
hujus Urbis stemmate editam; Avum Maternum habuit
JACOBUM Klercken / Stralsundensem Civem præci-
puum,

putum, qui Filios reliquit virtutibus clarissimos DN.
 JACOBUM Klericken/ Reipubl. Scralesfund. Camerarium
 meritissimum, & DN. WILHELMUM Klericken/ J. U.
 Doct. Cathedralis Eccles. Bardovicensis Decanum & Se-
 renis. Ducum Lüneburg, Consiliarium Intimum; Avia
 denique Maternam salutavit ANNAM Heydenhals.
 Matre orbata est in ipso flore infantili, Genitorem dein-
 cept, cum annos vixdum decem vivendo explevisset,
 amisit; proinde postea educata fuit à Matertera Fœmina
 Honoratissimâ MARGARETHA Klericken/ Viri Pru-
 dentissimi DN. CUNONIS SIBRANDI, Senatoris
 Rostoch. Vxore. Matrimoniali fœdere Anno 1624, pri-
 mitus juncta fuit Integerrimo & Spectatissimo DN. CON-
 RADO Brauvern / Civi & Negotiatori Rostochiensis,
 atq; Aerarii novi Præfecto laudatissimo, cum quo XXV.
 annos summâ concordia vivendo explevit. Filias in isto
 matrimonio duas enixa, quarum ultima ANNA in pri-
 mis infantia annis ex orbe avocata fuit; Primogenita ad-
 huc superstes Filia MARIA matrimonio juncta est Viro
 pl. Reverendo, Amplissimo, atque Excellentissimo DN.
 JOHANNI CORFINIO, Th. D. antehac apud nos
 P. P. & ad D. Mariæ Pastori, nunc apud Hambugen-
 ses ad D. Cathar. Pastori celebratissimo; Ex isto con-
 nubio prognatos vidit Nepotes sex Filios, videlicet Jo-
 HANNEM-CONRADUM, SIMONEM-PAULUM, SIMONEM,
 JOHANNEM, CONRADUM & PETRUM, (quorum duo prio-
 res orbi antehac valedixerunt) Neptes præterea tres,
 CATHARINAM-ELISABETHAM, MARIAM I. (quæ ex orbe
 antehac discessit) & MARIAM II. Cum Anno 1649 pri-
 ris


ris Conjugii vincula rupta essent, ad secunda transit vo-
ta Anno 1671. quæ contraxit cum Viro Consultissimo, &
Excellentissimo DN. ALEXANDRO Kirchberg/I. U.
Doct. & Provincialis Diæsterii advocato meritissimo.
Morbo correpta fuit ante aliquot hebdomades, Febri
videlicet acutiori, quæ illam pertinacissimè inquietavit,
quocirca XII Maij salutarè Epulo Eucharistico ministe-
rio Viri Pl. Rev. & Excellentissimi DN. NICOLAI RI-
DEMANNI, S. S. Th. Lic. & ad D. Mar. Præconis dig-
nissimi, refocillata, ad beatam emigrationem sese com-
posuit, cumq; animam JESU Salvatori commisisset, die
XVII. Maij placidissimè animam exhalavit, cum annos
complevisset LXI. Hisce elegantissimis Majoribus de-
functæ nostræ originem suam acceptum fert, quæ; quam-
primùm nata, & arbori vitæ Christo Jesu, per baptismum
inferta, à tenetis unguiculis pietate verâ, & omnibus vir-
tutibus muliebrem sexum exornantibus imbuta est. Ma-
jor facta concordans matrimoniū invenit, studiosa viri,
& rei domesticæ observantissima fuit, Seniū ingravescens
precibus, & sacris addixit, & hinc omnibus, inprimis
maestissimo Viduo, optimæ filiæ, pl. Rev. genero, moratis
nepotibus, & elegantissimis neptibus magnum sui desi-
derium reliquit. Verùm sic domino placuit, cui parere
in omnibus tenemur, quare sibi metipsis verbum DEI
tanquam dulce nepenthes ad abstergendum tristitiæ ne-
bulas jugiter propriabunt. Illa est in quiete, nos in tur-
bis, & turbido rerum statu. Non invidemus ipsi vitâ æter-
nam, ad quam anhelamus omnes. Cogitemus diffici-
lia,


lia, in quæ reservati sumus tempora, & horum cogitatione dolores nostros mitigemus. Quoniam autem defunctorum corpora honorificè sepelienda, & ipsa S. Scriptura indicat *Gen. 23. vers. 19.* ubi Abraham honorificè sepelivit Saram uxorem suam: Isaacum humavit Jacobus. *Gen. 35. vers. 29.* Martha Lazarum *Joh. 11. vers. 17.* Et secundum *Augustin.* Nefas esset vasa Spiritus S. projicere, quibus ipsis & beatæ spes resurrectionis indubitata restat. Idem hodiè piæ, ac modestissimæ denatæ matronæ officium, mæstissimus Viduus, unà cum optimis & honoratissimis heredibus religiosè præstabunt. Quod ut debitâ funerali solemnitate, & deductione receptâ fiat, amicè contendimus ab universis & singulis, subjectis jurisdictioni nostræ, ut frequentes huic honestissimæ Matronæ exequiaseant, suæque fragilitatis, præsertim hoc tempore, ubi morbi ingravescunt, acutæ febres dominantur, memores vivant, & Deo summo, Academiam, & Civitatem ardentibus precibus, pro avertendis malis, humillimè commendent.


P. P. Rostochii, sub sigillo Rectoratus,
V. Julii A. C. 1660,

Conventus fiet hodie horâ primâ in Æde
B. Mariæ,










ris Conjugii vincula rupta essent,
ta Anno 1671. quæ contraxit cum
Excellentissimo DN. ALEXAN
Doct. & Provincialis Dicasterii
Morbo correpta fuit ante aliquo
videlicet acutiori, quæ illam perti
quocirca XII Maij salutari Epulo
rio Viri Pl. Rev. & Excellentissim
DEMANNI, S. S. Th. Lic. & ad
nissimi, refocillata, ad beatam en
posuit, cumq; animam JESU Salv
XVII. Maij placidissime animam
complevisset LXI. Hisce elegan
functa nostra originem suam acce
primùm nata, & arbori vitæ Chris
inferta, à teneris unguiculis pietat
tutibus muliebrem sexum exorna
jor facta concordans matrimoniū
& rei domesticæ observantissima s
precibus, & sacris addixit, & hi
mæstissimo Viduo, optime filiæ, p
nepotibus, & elegantissimis nep
derium reliquit. Verùm sic dom
in omnibus tenemur, quare sibi
tanquam dulce nepenthes ad abst
bulas jugiter propriabunt. Illa ei
bis, & turbido rerum statu. Non in
ñam, adquam anhelamus omnes



la transit vo
sultissimo, &
rchberg / I. U.
meritissimo.
ades, Febri
inquietavit,
ico ministe
COLAI RI
raconis dig
m sese com
misisset, die
cum annos
ajoribus de
quæ; quam
baptismum
mnibus vir
buta est. Ma
tudiosa viri,
ngravescens
us, inprimis
ero, moratis
num sui desi
t, cui parere
erbum DEI
tristitiæ ne
nos in tur
osi vitæ a ter
mus diffici
lia,